





Pri. 47. num. 26.

1773, 29.

H.

P. 276.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
VNIO PROLIUM
TANQVAM
INOFFICIOSA RESCINDI
POSSIT

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVURGENS.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII. IVLII ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

IOANNES DAVIDES IMANVEL SCHRECK

DOMITIENSIS MISNIC.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



GRAATIO
VALLI CUM...
VNIOPHOLVM
INOLITIONE RASCINI
P O F I D
HETTER...
P O P M O P
IN...
VNIOPHOLVM



AN

VNIO PROLIVM

TANQVAM

INOFFICIOSA RESCINDI POSSIT.

§. I.



Nunquam potuit subtilitas peregrini iuris in patria recepti efficere, ne populares de successione pacta inirent, licet eo iure perfecta adesset prohibitio, quominus pacta successoria valerent. Docet prolium vnio patris iuris intentum, cuius origines, vel ex communiōe bonorum inter coniuges recepta et vsitata petimus, vel etiam ad leniendum odium nouercarum atque vitricorum inuentam dicimus; quis enim ignorat, maxime nouercarum rationes parum commendabiles fuisse maioribus, vel ex antiquissimo secundarum nuptiarum odio, vel quod saepius in coniugis liberos prioris coniugii faeuirent, quo spectabat paronomia: *Stiefmütter sind des Teufels Unterfütter.* Nihil dicam de natura, indole, requisitis huius successorii pacti; haec enim satis eleganter iam dicta sunt a Cel. HOMMELIO diff. de genuina vnionis prolium indole. caet. Nec opus, vt de huius pacti hodierno vsu quidquam adiciam, quippe vel probat legum autoritas et adeo in Saxonia CONSTIT. XV. P. II. quae vnionem fieri haud patitur, nisi ad consensum feminae paciscentis curatorius consensus accedat, vel docet rerum iudicarum autoritas apud BERGERVM in *Oecon. Jur. L. I. Tit. III. Thef. XIV.* et apud alios, qui de vnione prolium tractarunt.

§. II.

Sicuti vero huius pacti haec primaria causa, vt compriuigni simul vtrique parentum succedant in bonis hereditariis, ita neque de

omnibus omnino bonis, neque absque certis cautionibus hocce pactum ineundum erat. Quod si enim adessent in patrimonio paciscentium parentum bona, quae eorum dispositioni atque arbitrio subiecta non erant, facile patet, de hoc bonorum genere haud vnionem fieri potuisse. Et praeterea cautionibus opus esse, vel inde apparet, ne damnum graue liberis hoc pacto inferatur. Quare etiam plerumque ad perfectionem vnionis prolium et causae cognitionem et decretum iudicis requirunt. Cedo, si legis adest expressa autoritas, quae inualidam declarat illam vnionem, nisi post causae cognitionem a iudice confirmata sit; sed, quid? si legis autoritas deficiat, an et tunc causae cognitionem et iudicis decretum ad prolium vnionem necessario requiramus. Sunt, qui ita sentiunt, sed rectius necessitatem confirmationis negat Illustr. HOMMELIVS *cit. diff. §. XV. et XVI.* Sicuti enim de iis tantum bonis pacisci licet, quae paciscentium libero arbitrio subiecta, atque de quibus vel alio modo parentes licite disponere possunt absque iudicis decreto et causae cognitione, quidni idem liceat in pacto vnionis prolium.

§. III.

Dein, quid inquirat iudex? Nunquam enim de vtriusque parentis paciscentis bonis verum ferri poterit iudicium, cum ea vel augeri vel minui possint. Concedam confirmari posse a iudice hoc pactum melioris probationis ergo: sed probatio ad negotii substantiam haud refertur. Valebit ergo pactitia illa successio ex solo paciscentium consensu. Neque rectum prius ferri poterit iudicium, quam expectato mortis tempore, quippe quae cuiusque tunc sit hereditas ex eo demum tempore apparet. Causam enim, cur causae cognitio requiratur, quaerunt in eo, ne diuersi illi liberi in legitima laedantur. Iam vero, sicuti viuientis regulariter nulla hereditas, ita nunquam de hoc capite quidquam cognoscere poterit iudex. Potest enim contingere, vt, quibus salua sit legitima tempore pacti initi, demum post annorum interualla mortuo parente
damnum

damnum ac laesionem sentiant. Praeterea argumentum videtur ductum a causa adoptionis ad causam vnionis prolium. Quemadmodum enim adoptio magistratus imperio fieri debebat; ita ex affinitate aliqua cum adoptione, quam Dd. sibi fingebant, cum tamen et substantia et sine differant vtraeque causae, imperio magistratus fieri debere vnionem putabant. Sed cum nulla adfinitas imo ne similitudo quidam intercedat inter vtraque negotia, quippe adoptio ad quaerendam sobolem et acquirendam patriam potestatem inuenta, haec contra ad compruignos inter se successionis intuitu vnionem, frustra argumentum ducitur ab adoptione ad prolium vnionem.

§. IV.

Cauendum diximus, ne liberi laedantur in *legitima*, quippe referunt *legitimam* inter ea bona, de quibus parentibus statuendi nullum ius esse, adferunt. At ignorarunt maiores nostri romanae legitimae vsus, quam licentia de bonis suis liberae restandi, quae popularibus nostris ignota, excitasse primum videretur, aut salum occasionem introducendae legitimae dedisse, ne propter nimiam illam testatorum licentiam liberi plane incensi fierent. Non ergo probabile maiores nostros legitimae respectum habuisse, cum legitima incognita. Forsan ergo duci posset argumentum, quo probaretur, legitimae rationem non esse habendam in vnione prolium ineunda. Sed salua res est. Quamuis enim legitima peregrini iuris sit, ita tamen ex eo iure in patria iura recepta et ciuitate germanica donata censetur, vt in rationibus quotidianis successionum allodialium et in quibus de bonis arbitrio testatoris libero subiectis agitur maxime quoque illius cura habeatur. Neque obstat, quod ob testatas, romanorum successiones inuenta legitima, haud quadret ad pactitias successiones romanis non incognitas tantum, sed adeo reprobatas atque prohibitas. Applicant iam romana iura legitimae quaestionem ad donationes, quae per conuentiones fiebant, quod patet ex controuersis circa inofficiosas donationes,

seu eas largitiones et liberalitates conuentionales, per quas liberorum legitima diminuta. Sit ergo, vt ex idea romani iuris vnio prolium non valeat tanquam successorium pactum, nihil obstat, quo minus vt liberalitas aliqua valeat, vt propterea illius ratio haberi possit et debeat legitima, ne in ea laedantur ii, quibus ea salua relinqui debet.

§. V.

Cum itaque, vt supra notauimus, de vnionis prolium bonitate atque valore non nisi mortuo parente iudicari possit, neque possibile sit, vt tempore inii huius pacti successorii iudicari queamus, an salua liberis futura sit legitima, quod bona vel augeantur vel minuuntur imo legitima ex hereditate constituenda sit, quae vero a tempore mortis computatur, facile fieri potest, vt inter parentes ratione liberorum inita sit vnio, quae tamen mortuo parente, ita comparata esse adparet, vt legitimi illius liberi in legitima laesi deprehendantur. Poterant enim eo tempore, quo pactum vnionis inii, tanta esse vtriusque paciscentis coniugis bona, vt ex vtriusque hereditate, quos quisque haberet liberos, saluam legitimam haberent. At quoties contingit, vt subito Irus euadat, qui modo Croesus erat! Quare facile apparet, laedi tunc liberos alterius coniugis posse, si partiri debeant cum vnitis hereditatem sui parentis, vbi ex vnitorum parentis hereditate nihil, vel parum in compensationem acquirant. Sed controuersa dubitatio oritur, an ex vtriusque parentis successione legitima computanda, ita, vt quod ex alterius paciscentis acquirant hereditate, in sui parentis legitimam computandum, sit v. c. Si a patre diuisa hereditate CCC capiant eius liberi legitimi, cum CCCC tanquam legitimam accipere deberent, contra CC ex alterius paciscentis hereditate acquirant, an saluam suam habeant patris liberi legitimam?

§. VI.

Equidem negari nequit, illam in successione stabilitam inter vnitos liberos aequalitatem primario eam habuisse causam, vt, quod

quod compriugni vniti ex vitrici vel nouercae hereditate capiant, iis quasi ex vitrici vel nouercae hereditate compenfetur. Nihilominus tamen verior mihi videtur opinio, in singulorum hereditate vnientium legitimae rationem ponendam esse. Legitima enim ea comprehendit bona, quae proprio quasi iure et intestati fuffeffione ad liberos pertinent: vt ergo de iis, quae titulo legitimae comprehenduntur, parentibus libera haud competat dispositio excepto casu, si iusta exheredandi causa adfit. Pacti ergo tantum sint, neceffe est, de iis bonis, quae sunt praeter legitimam liberorum: nullo respectu habitu, quid quantumue ex alterius vniti hereditate sint accepturi. Qui si itaque modus neglectus, contingere potest, vt inofficiosa sit *vnio prolium*, quae tunc inofficiosa erit, si pacti sint ita parentes, vt dein diuisione facta suam legitimam portionem saluam haud consequantur legitimi liberi. Fac Titium ex priori coniugio duos habere liberos, et XII Millia Vallengium in bonis: ducit in matrimonium Caiam viduam matrem quinque liberorum: Vnionem liberorum statuunt. Si haec duodecim millia Vallengium mortuo Titio diuidunda inter omnes compriugnos, singulus ex illis consequetur MDCCLXIV Vallenges. Iam vero ius perfectum liberorum Titii laesum est, quippe cum MMMM legitimam conficerent, et singulus ex his duobus MM perfecto iure petit; facile patet, inofficiosam esse initam vnionem, quippe, pactus parens de bonis, de quibus, ob liberorum legitimae ius, perfectum paciscendi ius non habebat.

§. VII.

Quemadmodum itaque alias, si laesi essent liberi testamento vel quaerela inofficiosi testamenti, vel in supplementum agere poterunt, et si donatione laesi inofficiosa, pariter quaerela inofficiosa donationis experiantur; ita quaestio dari poterit, an rescindi possit inofficiosa vnio prolium applicata quaerela inofficiosa
fae

fae donationis, et an integra rescindenda sit vnio inita. Et si
 dicendum est ex legum interpretatione rite facta, vnionem nun-
 quam rescindi posse, praeterquam vno casu, si citra iustam cau-
 sam vnum ex liberis a sua hereditate excluderit in pacto vnionis,
 et prohibuerit, quo minus ad diuisionem hereditatis simul ad-
 mittatur. De quo, an id fieri possit, vehementer dubito. Sed
 de hac quaestione alibi agamus. At, si de eo themate tantum
 fermo sit, vt inofficiosa dicatur, quatenus liberi non exclusi ab
 hereditate sed saltem laesi, non putem inofficiosae donationis
 quaerelam adplicandam, sed ad supplementum legitimae appli-
 cata actione expletoria experiendum. Constat enim testamenti
 inofficiosi quaerelam agere de iniuste exheredato: Ad eius exem-
 plum introducta quaerela inofficiosae donationis: exclusi erga
 donatione ab omni successione tantum rescindant donationem
 inofficiosam. Iam si tantum laesi sint liberi in testamento, non
 exclusi, iura expletoriam actionem dedere ad supplendum, quod
 deest legitimae: quid obstat, quominus eandem expletoriam
 actionem et ad inofficiosam eam donationem referamus, qua laesi
 tantum liberi in legitima, et ob eandem rationem extendamus
 ad inofficiosam vnionem initam prolium. Nam et is videtur
 parens contra officium pietatis egisse, qui liberis de eo, quod ex
 legis autoritate habituri erant, aliquid detrahit. Experiantur
 ergo duo patris liberi laesi contra vnitos, vt tantum expleant ex
 sua portione, quod legitimae adhuc deerat. Obseruo praeterea,
 cum Dd. dissentiant, an integra inofficiosa donatio, rescindenda
 an, quod legitimae deest, supplendum, hanc controuersiam hac
 iuris Romani distinctione per interpretationem applicata, facile
 componi posse.





ULB Halle

3

004 758 501



56

*VD
18*





Pri. 47. num. 26.

1773, 29

H.

QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 AN
 VNIO PROLIVM
 TANQVAM
 INOFFICIOSA RESCINDI
 POSSIT

P. 275

QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
 PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII. IVLII ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

IOANNES DAVIDES IMANVEL SCHRECK

DOMITIENSIS MISNIC.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

